

die 1. Decemb. 1595. coram me per præfatas decisiones non defendi recursum ad iudices laicos, & invocari eorum nudum auxilium ad defendendam propriam possessionem, qua quis de facto spoliatur, & qua quis etiam propria autoritate defendere potest, nusquam tamen legitur en eis, quod talis recursus fieri possit ad tribunalia, sive iudices laicos, tanquam iudices, ad effectum obtinendi inhibitiones, & mandata contra Pralatos, & iudices Ecclesiasticos, & præcepta pænalia ut in casu proposito.

Cæterum quia nihil est tam verè dictum, quod non possit sinistrè interpretari, & informantes pro Petro uterentur etiam decisione in dicta causa Oxonens. coram me, licet clarissimè huiusmodi recursus detestetur, & damnet, ideo ex sententia Rotæ ad tollendam omnem difficultatem visum fuit duo adungere.

Primum præfatas decisiones nullam præbuisse, nec præbere istis recursibus autoritatem, nisi in casibus à jure Canonico expressis, quamvis Rudiores, qui præfatas decisiones cõpararunt, vili interdum fuerint istis recursibus deferre pro defendenda possessione, quam quis propria autoritate defendere potest, non quod ad iudices sæculares tanquam iudices, & superiores recurrere liceat, sed tanquam ad homines privatos juvare tamen potentes, non secus ac si quis invocaret auxilium cujuslibet transeuntis per vicus, vel plateas: si fortè de facto ab alio potentiore de propria domo depelleretur, non tamen ut posset à iudicibus laicis defendi per citationes, & inhibitiones, & pænarum comminationes contra iudices Ecclesiasticos, quia tales recursus tanquam illicitos Rota sacrorum Canonum cultrix & observatrix nunquam probavit, aut toleravit, quia potiùs in ea re gravissimè lapsùm Cov. *practi. c. 35. num. 3.* & cæteros idem opinantes uno consensu sèper censuit, & docuit. Alterum fuit, jam superiore sæculo viros pios tenuisse præfatam Achil. decisionem posse sustineri, ad id tamen ansam præbere non solum Regibus, sed etiam Dominis temporalibus quibusvis circa negotia Rotalia (quæ ut plurimum beneficalia existant) & circa Sacerdotia, & dignitates, ac personas Ecclesiasticas se intromittendi, contra text. *in c. novit. de judi.* & Domini temporales ista occasione, seu prætextu manutentionum, seu defensionum, se & suos iudices super Sacerdotiis, & Sacerdotum jurisdictionibus, & Sacerdotibus, constituerunt. Ergo tempore meo propter istam causam semper Achillis decisionem videri haberi suspectam.

Quod attinet ad decisionem D. Cardinalis Blancheti in causa Salmantina, sæpe fuit reprobara, & nulla ejus penitus habita ratione; atque ex his fuit conclusum, Petro obtulisse recursum, ut non potuerit tanquam excommunicatus acquirere beneficium, quod à Sede Apostolica impetravit. Hactenus de dicta decisione.

283 Alia etiam est Rotæ decisio in una Genuensis Portionis Mercurii 3. Decemb. 1613. coram Burrato, de qua testatur Prosper Farinac. *part. 2. tom. 1. decis. 491. num. 6. fol. 541.* in hæc:

Accedebat recursus habitus pro Gomefio post sententiam ordinarii, ad iudices laicos in hæc causa, quo fit, ut incideret in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini, & veniat à limine iudicii repellendus; *c. exceptio nem. 12. de exceptio. ubi Doctores c. 1. & Clem. 1. eodem tit.* & notat *in c. 1. de rescript. in 6.* & consequenter deneganda remissoria. Rota in Tolentâ. Parochial. 2. Maii 1597. coram bon. mem. Litta, & cum isti recursus sint facti nomine Gomefii habentes interesse, præsumuntur etiã de illius mandato, ad effectum denegatæ eidem audientie Rot. in Placent. beneficiorum decimo nono Februarii, anno millesimo sexcentesimo tertio, coram illustrissimo Cardinale Mellino, & in Tuden. benef. 5. April. & vigesimo quinto Junii; anno mille-

simo sexcentesimo quarto, coram bon. mem. Penia, ex his præcipuè pro denegatione remissoriae resolutum.

Alia est decisio Rotæ in una Pampilon. attentat. 284 Mercurii primo Julii, anno millesimo sexcentesimo decimo quinto, coram Pirovan. de qua testatur Farin. 2. *p. 1. 1. decisio 751.* in hæc verba:

Pro Nicolao Solo informante fuit resolutum, nempe constare de attentatis, quæ veniant revocanda, quia causa pendente in Rota, & post inhibitionem Rotalem transmissam iudex delegatus, jam officio suo functus super executione literarum Apostolicarum in spretum Jurisdictionis iudicis ad quem reposuit Martinum ab omnibus decretis per eum factis, quod facere minimè poterat, stante pendentia causæ, & inhibitione, quæ omnino erat timenda, Achil. *decisio. 19. de appell. & coram Accorambon inter impressas post tractat. salu. D. Statili, decisio 60.*

Non obstat quod ad prædictam attentatorum revocationem deveniendum non sit nisi priùs transportatis actis ad Curiam, sine quibus Jurisdictio non dicitur aperta iudici, juxta decreta Concilii Tridentini, nam ultra quod adsunt sufficientia acta ad probandum attentata, nempe, recursus ad Concilium, & sententia repositionis contra propriam sententiam jam latam pro Nicolao, fuit etiam dictum, stante impedimento præstito per Consilium instante procuratore Martini, ne acta posset transportari, solent in odium recurrentium haberi pro transportatis, Gabriel *de appella. concl. 5. num. 5. & 9.* & in his terminis alias fuit resolutum in Calaguritana beneficii, undecimo Februarii, anno millesimo sexcentesimo octavo, coram R. P. D. Domino Pamphilio.

Adverterunt tamen Domini, quod omnia in Consilio Regio gesta fuerunt per Gabrielem de Eguillis procuratorem Martini, de cujus mandato non constat, quæ etsi acta in Cordubæ Archidiaconatus de Castro, vigesimo septimo Octobris, anno millesimo sexcentesimo sexto, coram Reverendissimo Archiepiscopo Damasceno, nihilominus ad declarationem censurarum majorè probationem expectare voluerunt, prout etiam dixerunt in causa Genuens. census coram me 17. Junii, anno 1603. ideo quid ad censuras, ultra principalem pro revocandis attentatis, nihil voluerunt determinare, & ita fuit decisum.

Et idem Farina. *1. part. tom. 2. decisio 534. fol. 93.* 285 testatur de alia decisione in una Placentin. benef. Mercurii vigesimo, anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, coram Ubaldo in hæc:

Fuit resolutum sententiam Rotalem esse confirmandam, quia de ejus validitate non controvertitur, & in ea intervenerunt omnia requisita, de quibus Caputaq. *decis. 260. part. 1.* iustitia verò deducitur, quia beneficium, de quo agitur, vacavit de mense Februarii, qui stante altera concessa Episcopo, & ab eo acceptata, sit ordinarius, & ideo collatio ab eo facta in persona Bernardini valuit, gratia verò Joannis fundata in præsentia reservatione ratione mensis corruit Roma. *conf. 335. num. 11. & 14.* ut latius fuit deductum in decisionibus in hæc causa factis 29. Novemb. anno millesimo sexcentesimo decimo, & 17. Julii, anno millesimo sexcentesimo undecimo, coram illustrissimo Cardinale Lanceloto, à quo emanavit sententia prædicta absolutoria Bernardini.

Contra quam tamen in hodierna causæ propositione coram me adducebantur multa respicientia, tam inhabilitatem personæ Episcopi conferentis, quam ipsius Bernardini, cui fuit facta collatio, & quoad Episcopum apponebatur ipsum fuisse excommunicatum, de tempore factæ collationis, propter recursus ad iudices laicos, & ideo collationem non valere, *cap. 1. de rescript. in 6.* etiam si excommunicatus esset occultus, Cæsar

Cæsar. de Grass. *decis. 191. alias 2. n. 12. & seqq. de sent. excom.* Sed fuit responsum, præterquam quod non satis videbatur constare, quod de mandato Episcopi fuissent habiti, & executioni mandati dicti recursus, prout requirebatur mandatum speciale, & in individuo, cum aliàs nemo præsumitur habere mandatum ad delinquendum *l. 4. §. si Procurator, ff. quod quisque jur. l. si Procurator, & ibi Bart. ff. de cond. indeb. Mart. consilio 538. num. 15. lib. 3.* & cum agatur ad effectum incurrendi pœnam inhabilitatis Episcopi, requirantur probationes concludentes, & non sufficientes tantum præsumptiones mandati, ut fuit dictum in Tuden. beneficii quinto Aprilis, anno millesimo sexcentesimo quarto, *versiculo, sed quia aliqui coram bonæ memoriæ Penia exempla allegarunt.*

Quidquid igitur sit de hoc, respondebatur ulteriùs, quod cum Episcopus nunquam fuisset declaratus excommunicatus, nec pro tali habitus, gesta ab eo, quamvis verè fuisset talis, ratione publici officii sustinentur, *l. Barbatus, ubi Doctores ff. de offic. cap. nonne 8. quest. 4. cap. ad probandum, & ibi Abb. num. 3. & cum. 14. in prin. & seqq. Felin. num. 3. & 6. de re judic. Innocent. in cap. veritatis, num. 1. ibi, quod intelligendum videtur, & ibi Bellamer. num. 22. Abb. n. 42. & ceteri Doctores de dolo & contum. Covarr. in cap. alma mater, part. 1. §. 7. sub num. 9. versiculo ideo de sentent. excommunicat. in 6. Lap. allegatio 89. num. 11. versiculo propterea, & num. 12. & ibi Mandos. de commun. in verb. excommunicatus, Felin. in cap. Rodulphus, num. 39. de rescript. & fuit in terminis dictum in causa Jacen. Archidiaconatus vigesimatercia Julii, anno millesimo sexcentesimo undecimo, coram illustrissimo Lanceloto, quæ etiam hodie placuit Dominis.*

Non obstat, quod excommunicatio inflicta per Bullam in Cœna Domini ob dictos recursus sit notoria, quia bene responderetur in d. decisione Jacen. sufficere, quod recursus non sint notorii, propter quos excommunicatio imponitur, *cap. cum secundum, de hæretic. lib. 6. & c.* (sequitur dicta decisio, & facit.)

Contra personam verò Bernardini, pariter excipiebatur eum fuisse excommunicatum propter recursum ad iudices laicos, & propter declarationem Rotæ in alia causa contra eum latam, quoad recursus non videbantur satis probati ab effectu, de quo agitur, qui est ut Bernardinus reddatur inhabilis ad beneficium consequendum, quo casu plena requiritur probatio, & non sufficit præsumptiva, ut fuit dictum in d. Tuden. benef. coram Penia; assertur enim assertio adversarii Bernardini, quod sibi fuerunt sublata acta sive Bullæ ad instantiam Bernardini, quæ Bernardino non videtur potuisse præjudicare, *l. Scia mancipia emit, ff. ad Velletian. necnon provisio iudicum laicorum, quæ apparet facta ad instantiam procuratoris Fiscalis audientie Episcopalis, nec constat de mandato, vel ratificatione Bernardini, & quatenus etiam ipse haberet aliquod interesse; tamen ultra quod in hac causa non admititur ista probatio præsumptiva, ut dictum est, nec etiam operatur contra aliquem, quando constat plures habuisse interesse; ut fuit dictum in Calaguritana fructuum 19. Martii, anno millesimo sexcentesimo octavo, coram bon. memb. Scoto.*

Nec obstat, quod à Bernardino fuerit petita absolutio, quæ videtur supponere excommunicationem, quia potuit peti ad cautelam, Rot. *decisio 11. de sententia excommunicationis in antiquis. Cardinal. in cap. perpendimus sub. n. 19. vers. quero an ad probandum, de sentent. excommunicat.*

286 Alia est Rotæ decisio in una Abbacia de Salas Mercurii vigesimo Novembris, anno 1613 coram Ubal-

do, & est Farinacii 529. num. 4. fol. 87. *prima part. tomo secundo*, in hæc.

Et facit ad motivum superadictum simile de supplicationibus factis iudici laico pro habendo brachio sacculati adversus iudicem Ecclesiasticum, quæ præsumitur porrecta ab eo, cujus interest, ut sæpe dictum est in Rota; & signanter in causa Tuden. beneficii octavo Junii anno millesimo sexcentesimo septimo, coram Reverendissimo Domino meo Damasceno, & tamen præsumptio tendit ad supplicentem efficiendum pœna excommunicationis, unde multò magis videtur intrare dicta præsumptio, quod supplicatio fuerit porrecta in hoc casu ab eo, cujus intererat, ex quo tractatur de ejus lucro.

Idem Farinac. *in eodem tomo secundo, prima part. de- 287 cisione 602. folio 179.* in una Placentina benef. Mercurii 21. 1614. in hæc:

Impugnabatur decisio in hæc causa coram me facta die vigesima septima Novembris præteriti duobus potissimum fundamentis, primum erat, quod videbantur sufficienter probati recursus Episcopi Placen. ad iudices laicos ex mandato speciali ad recurrend. acceptatione, & ratificatione ipsius, & proinde tanquam excommunicatus non videbatur capax alternativæ, cujus vigore contulit beneficium, de quo agitur, nam alternativæ, quam acceptaverat de tempore felic. record. Clementis VIII. exspiraverat per obitum Papæ de anno millesimo sexcentesimo quinto, & tempore alternativæ concessæ per sanctissimum. D. N. quam Episcopus acceptavit de anno millesimo sexcentesimo sexto, jam erat excommunicatus propter dictos recursus habitos de anno millesimo sexcentesimo tertio, & aliàs certum est excommunicatum esse incapacem cujuscumque gratiæ, & rescripti. *cap. 1. de rescript. in 6. Butr. in cap. ad probandum, n. 11. versiculo 29. casus, Calder. consilio 12. de reg. Roman. consilio 506. n. 12.*

Secundò dicebatur ex textibus noviter examinatis probatum fuisse, Episcopum durante excommunicatione ordines sacros contulisse, & debatur etiam publicum instrumentum unius collationis, quo casu Episcopus videbatur factus irregularis, *cap. is qui, 2. respons. de sentent. excomm. in 6. cum allegat* quæ irregularitas inducit suspensionem, & suspensus, sive occulte, sive palam; prohibetur ab exercitio jurisdictionis, sic à collatione beneficiorum, ut etiam distinguendo inter excommunicatum, & suspensum firmatur in d. decisione hujus causæ coram me.

Verùm his non obstantibus Domini non putarunt esse recedendum à prædicta decisione 27. Novembr. in hac causa facta, ex fundamentis ibi relatis. Et quoad primum objectum considerabant, quo in effectu agitur, ut Episcopus propter dictos recursus fuerit effectus inhabilis ad conferendum, & ulterius ab eo provisus priventur jure sibi quæsito, & sic negari non potest, quin in utroque casu agatur de pœna *lib. 1. Cod. de his, qui pœna nom. Bald. in repet. l. seu & si post, sub numero 60. ff. si quis cautus. in judic. & ideo hoc casu requiritur concludentissima probatio recursus; ut fuit firmatum in decis. Tuden. Beneficii 5. April. 1604. & 25. Junii ejusdem anni coram bon. mem. Penia, & in d. decis. coram me.*

Quo posito, si examinentur vel conjunctim, vel divisim præsumptiones illæ, quæ assertuntur contra Episcopum, non putabant Domini esse tales, ex quibus Episcopus potuisset, vel posset hodie, si viveret, declarari excommunicatus, nam quoad mandatum illud, fuit generale ad faciendas quascumque requisitiones, appellationes, & protectiones, in causa Episcopi cum Decano, & Capitulo, & sic potuit intelligi in casibus licitis, in quibus Ecclesiastici possunt impunè recurrere ad iudices laicos, ut latè per Menoch. *de retinend. remedi. 3. quest. 52. num. 354. & sequentibus*

Provisiones Regiæ, quæ adducebantur, partim emanarunt ante dictum mandatum, partim petita fuerunt à diversa persona ab iis, quæ in mandato fuerunt expressæ, ut latius fuit ostensum per informantes, sed quatenus etiam essent probati dicti recursus, tamen cum Episcopus nunquam fuerit declaratus excommunicatus, potuit conferre, cum excommunicatus non privetur exercitio Jurisdictionis, antequam declaratur excommunicatus, per Navarr. in man. cap. 27. sub. n. 1. & num. 152. versiculo dicto, & latius fuit deductum in decisione hujus causæ.

Et idem Farinac. in decisione 686. m. 2. fol. 287. d. 2. tom. 1. part. in hæc ibi,

288 Imò non solum fuit probata scientia Rectorum, sed manifesta, & dolosa contumacia, ex quo ipsi habuerunt recursum ad Concilium Regium, & sub falso prætextu, quod provisor careret Jurisdictione, extorserunt provisionem Regiam, in qua nihilominus refertur status causæ circa examen, quod per receptorem fiebat, summario num. 4. quo casu, & qua stante contumaciæ non erat necessaria aliqua citatio, etiam si aliàs de jure foret requisita juxta text. in cap. 2. de dol. & contumac. in 6. Alexand. in l. de unoquoque, num. 16. de re judic. Gabriel. de citat. consilio 1. numero 299. & hinc cessabat alia nullitas deducta ex lib. 8. titulo 6. lib. 4. nov. recopilatio, ubi antequam receptor literis utatur, illas debet notificare parti, ut ad locum receptoris accedat, & ibi Alphons. de Azeved. notat idem esse de jure communi, scilicet sumptum ex l. judices, ubi Castrenf. in princ. & num. fin. Cod. de fid. instrument. ille enim defectus fuit sanatus ex supervenienti scientia Rectorum.

Quæ omnes decisiones tunc prohibent recursum ad judices sæculares, quando ipsi judicialiter procedunt in tollenda violentia, prout ex eis evidenter apparet, quæ dum dicunt recurrentes ad judices laicos charitatis censuras, supponunt judicium, & Jurisdictionem in judicibus laicis, prout inhibitiones, & alias similia profertentes omnes unanimiter, rectè posse recurri ad judices sæculares pro tollenda violentia à judicibus Ecclesiasticis illata, nullo dato juris ordine, sed extrajudiciali cognitione dumtaxat; prout in nostro recursum ad Regem evidenter monstravimus supra, prælud. tertio.

289 Cui favet Rotæ decisio in una Auriens. Parochial. de Pao Lunæ secundo Decembris 1606. coram D. Ludonense, dum permisit Patronis laicis posse recurrere ad suprema tribunalia, quem recursum nos Bullarum retentionem dicimus. de qua decisione testatur Farinacius, part. 1. tom. 1. decisione 191. num. 5. fol. 205. quæ in hæc inquit.

Non obstant recursum habiti ad judices laicos ad Rot. decis. 7. de re judic. in nov. quia hoc casu non probantur, & ubi probarentur, potuerunt fieri per Patronos laicos, dum autem recursus habere potuerunt à pluribus, non probant contra certum aliquem, nisi in illis esset nominatus, ut fuit dictum in causa Pampilonen. prioratus de Arguidas coram R. P. D. meo Ludovico 5. Martii 1603.

290 Et ut omnino tollatur in hoc casu difficultas, sciendum est Romanum Pontificem Martinum V. anno 12. sui Pontificatus in una Bulla, seu Pontificali rescripto declarasse ad instantiam Regis Francorum; se per illam suam sanctionem, qua graves penas statuerat adversus clericos se conveniri patientes coram judicibus sæcularibus: non intellexisse de casibus pertinentibus Regi tam de jure, quam de consuetudine immemoriali inter clericos cognoscendi, eum eo jure non utatur ad æmulationem Jurisdictionis Ecclesiasticæ; quam refert ad literam Guid. Papæ in quest. 1. Delphin. & in quest. 85. & eam etiam ad nostrum propositum refert Sese in Epistol. ad Regem, numero 97. cujus etiam essentialem

partem refert idem Sese tract. de inhibiti. c. 8. §. 3. n. 48. fol. 89. quam hic inserere libuit pro nostræ consuetudinis, & cognitionis extrajudicialis defensionis, ac cognitionis per viam violentiæ majori perfectione, ac claritate, quæ sic se habet in hæc verba.

Bulla Martini V. Pontificis
Maximi.

Martinus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ Sedis, à qua & circumspècta provisio quorumlibet jura, & tranquillitatem confoveri satagens, cum verisimiliter timentur, ne cupiditas improba se à vetitis abstinere nesciens statutus, & ordinationibus à se hujusmodi procedentibus laxato freno orationis abutatur, nunc per provisionis debitæ remedium; nunc verò per opportunam declarationis officium nititur obviare, dandum siquidem providere considerantes, quòd licet clerici, Ecclesiasticæ quæ personæ, quæ suas causas, & querelas in his præcipue, quæ de jure, vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum, pertinere noscuntur, eo tamen derelicto, sæcularibus negotiis se submittere, seu partes sibi adversas ad forum de jure vetitum conveniri, vel trahere præsumebant, gravibus proinde penis tam in spiritualibus, quam temporalibus, etiam jure disponente alligarentur; penas tamen ipsas non jure propriæ salutis periculo sæpius habere videbantur in contemptum, nos qui ex debito pastoralis officii salutem quærimus singulorum, super his opportunè providere volentes autoritate Apostolica statuimus, & etiam ordinamus, quòd quicumque ex clericis, & personis eisdem de cætero reus talis præscriptionis existeret, nisi à præmissis desisteret, omni commodo carere, ipseque in graves, tunc expressas, & alias juris penas incurreret, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem sicut pro parte charitissimi in Christo Filii nostri Caroli Regis Francorum illustris, nuper nobis fuit expositum; quòd à nonnullis vertitur in dubium, an per hujusmodi nostram concessionem derogare voluerimus juri, & Jurisdictioni Regiæ, præsertim in causa possessorii retinendæ possessionis super suis Ecclesiis, & beneficiis Ecclesiasticis suorum Regni Franciæ, & Delphinatus Viennensis per quam Jurisdictionem præfatus Rex sibi asserit licere in omni casu etiam juridicè tueri possessores: nos ad omne ambiguitatis tollendum dubium, super his opportunè providere volentes, eisdem Regis in parte supplicationibus inclinatis, autoritate Apostolica tenore præsentium declaramus nostræ intentionis non fuisse, nec esse per dictam, aut quamcumque aliam constitutionem eidem Regi, & ejus Regiæ Jurisdictioni, per quam ut asseritur, tam Rex, quam sui primogenitores super hujusmodi possessorio à tanto tempore, citra quòd de ejus contrario memoria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogare voluisse, aut velle quoquomodo, ipsosque Reges, & judices decernentes partes molestas, super earum conservatione ad suorum beneficiorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes, dummodo in contemptum Jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, ut partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis diutius perturbarent, 292 hoc non fecerint, penas in dicta nostra constitutione contentas nullatenus incurrisse, aut debere incurrere, quovis modo, per hoc autem nullum jus seu Jurisdictionem, in præmissis cognoscendi, eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum (si quod habeat) omni modo conservari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, & voluntatis infringere, & ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ

mæ apud sanctos Apostolos Kalendis Maii Pontificatus anno 21. Floruit anno 1431.

293 Cujus Bullæ determinatio attentè ponderanda est, & ejus verba attendenda, quæ licet specialiter sit inducta in favorem Regum Franciæ; tamen ejus decisio, & determinatio generalis est, universaliter comprehendit omnes Reges, & Principes superiores, simile jus, & consuetudinem immemoriam habentes cognoscendi in aliquibus casibus inter personas Ecclesiasticas, ut tradit Guillel. Bened. in c. Ruynt. verbo. & uxorem nomine Adelsiam, decis. 2. n. 117. de testament. quem ad idem sequitur Fulvius Pacian. cons. fin. n. 12. & n. 29. & post Covar. idem tenet Sese tract. de inhibiti. cap. 8. §. 3. num. 85. dum dicit generaliter loquendo ex 294 eadem Bulla Martini V. quòd non præsumitur, Papam velle tollere has immemoriam consuetudinem antiquas, & rationabiles, Idem, & elarius tenet in eodem §. 3. n. 50. quòd illius Bullæ determinatio extendatur ad illam consuetudinem similem, quæ habetur in illo Regno Aragonum, recurrendi ad Senatam per viam præfectionis, & tollendæ violentiæ, & allegat ad id Navarrum, & Salcedum, per quos etiam in n. 86. & 87. affirmat, quòd Romanus Pontifex per censuras generaliter à se latas, non videtur velle derogare juri quæsitæ Majestati Regiæ, sive de jure, sive de consuetudine juxta illam declarationem Martini relatam, & sic omnes ex identitate rationis (quæ generalis est) intelligunt illam Bullam in omnibus Regibus, simile jus, & consuetudinem immemoriam habentibus, maxime Regibus Hispaniæ, qui cæteris sunt præstantiores, & maximo amore, & privilegio sunt semper à Sede Apostolica honorati, prout debetur.

295 Prout & ulterius ratione de jure probatur, etenim cum sumus in censurarum incurfione, seu absoluteione & sic in spiritualibus; & rebus tangentibus animam, in quorum respectu, & ordine omnes etiam Principes Christianæ religionis professores subditi sunt Romano Pontifici, imò etiam in temporalibus in ordine ad spiritualia, ut latè Joan. Driedo lib. 1. de libertate Ecclesiast. cap. 15. per totam, Paramo de origine inquisitorum, l. 3. q. 1. opin. 4. Molin. de just. & jur. tom. 2. disp. 29. Marra de jurif. 1. p. cap. 17. & nos alibi diximus; & novissimè probat Torre Blanca de magia, lib. 3. cap. 16. à n. 11. cum seqq. & num. fin.

296 Unde est, quòd quando Princeps uni præfidi rescribit, per consequentiam omnibus præfidibus scripsisse intelligitur. Ita est mirabilis doctrina B. in l. relegatorum, §. interdiceret, ff. de interd. & leg. Paris de Pur. de Syndicatu, §. officialis, cap. 1. num. 14. ff. in l. 1. n. 7. ff. de cons. princip. Parlardor. lib. 2. rerum quotid. c. fin. §. p. 297 §. 10. num. 26. folio. 258. ubi etiam, quòd quando ratio legis est generalis, uni tamen præfidi directæ, ad omnes judices extenditur, & comprehenditur: ergo licet hæc Bulla specialiter sit directæ ad Regem Franciæ, tamen cum ejus ratio generalis sit, ad similes consuetudines, & casus debet extendi, ubi identitas rationis consideretur.

298 Quare perpetuò attendenda est illius Bullæ celebris determinatio, præcipue in illis verbis ibi: Nos ad ambiguitatem tollendam declarantes, nostræ intentionis non esse, per quemcumque consuetudinem Regi, & Regis Jurisdictioni, per quam à tempore immemoriali consuevit ipse; & sui officiales cognoscere super omni possessorio; in aliquo derogare, ipsique Regem, & judices detinentes partes molestas, super earum conservatione ad suorum bonorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes, dummodo in contemptum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis diutius perturbarent; hoc non fecerint, penas in dicta nostra constitutione contentas nullatenus incurrisse, nec incurrere quovis modo. Hactenus de satisfactione tertii argumenti.

Nec obstat quartum superius oppositum num. 32. 299 ubi quòd immemorialis consuetudo non prodest, ubi constat, & apparet de injusto titulo, & principio, prout in hac nostræ quia omni jure est prohibitorum Regi temporali, de Ecclesiasticis causis cognoscere, quia 300 respondetur, quòd huic consuetudini non solum non repugnant jura, sed imò cuncta favent, quia fundatur in jure naturali, divino & positivo, prout nos latius diximus, & evidenter comprobatur reliquimus supra, prælud. 3. per totum, & juxta prohibentia laicis, ne de clericis cognoscant, loquuntur de cognitione judiciali, & jurisdictionali; quòd verissimum est, non tamen de defensione naturali, & protectione vi oppressorum appellantium absque umbra jurisdictionis, cujus cognitio ex materia, & forma extrajudicialis est, ut præ cæteris diximus prælud. 3. per totum: quare in hac consuetudine non datur injustum principium, sed omnino justum, & omni jure comprobatum, competens, & in hærens visceribus Regalis regiminis, cujus proprium officium est vi oppressos liberare.

Minus obstat quintum argumentum, de quo ad principium hujus capitis, n. 35. ubi quòd hujusmodi consuetudo, est præjudicialis Ecclesiasticæ libertati, & ideo sustineri non potest, & exemptio clericorum, quæ de jure divino est, nulla consuetudine etiam immemoriali auferenda. Cui respondetur, quòd licet verum sit; à jure divino in spiritualibus procedere exemptionem clericorum, quam etiam Summus Pontifex tollere 303 non potest in universum; tamen in casu particulari, & limitato potest induci consuetudo, prout & de aliis pluribus doctrinis, quibus hæc opinio, & argumentum repellitur, latissimè videre poteris ex his, quæ congestimus supra, prælud. 3. circa justificationem hujus consuetudinis immemorialis à n. 121. prout passim in jure videmus, plurimis in casibus posse judicem sæcularem de clericis cognoscere, & Ecclesiastica negotia tractare, ut superius num. 251.

Et insuper respondetur, prout, superioribus argumentis respondemus, ut omnia illa jura doctrinæ, & auctoritates, tam regaliæ, quam limitationes, de quibus nos loco citato; procedunt, & loquuntur in jurisdictione præscribenda, & in consuetudine inducenda contra clericos jurisdictionaliter, de quo nos non loquimur, nec sermo noster est, sed tantum de nuda defensione, & protectione vi oppressorum, & auxilio Regio extrajudicialiter imploranti exhibendo, prout adnotavimus supra, prælud. 1. per totum.

Et idè minus obstat, quòd hæc consuetudo sit contra libertatem Ecclesiasticam, quia totaliter illi favorabilis est, nimisque valde utilis, ut notat Suarez lib. 4. de immunit. Ecclesiast. in cap. 44. n. 43. Cæned. in quest. canon. 45. num. 9. ubi optimè & n. 35. Morl. in Empor. jur. tit. 2. de jurif. quest. 14. n. 8. & probat expressè d. Bulla Martini V. superius relatæ ad responfionem tertii argumenti, & nos latius comprobavimus supra, ad responfionem secundi, & post Manuèlem Roder. Navar. Covar. Pacian. & Cachera. tenet novissimè Torre Blanca in tractatu de magia, lib. 3. cap. 26. n. 32. alios citavi sursum à num. 239.

Nec obstat septimum argumentum, de quo supra, 307 num. 37. quòd dicitur, quòd laici non possunt inducere consuetudinem ligantem Ecclesiasticas personas. Cui respondetur, quòd hæc consuetudo originaliter fuit introducta ab Ecclesiasticis personis, quorum frequentia major est in tribunalibus Ecclesiasticis, & ob id magis frequenter violentias reportant & ab illis opprimuntur etiam laici, & sic activè, & passivè per longum usum à clericis, & sæcularibus introducta fuit, & ideo dicitur consuetudo mixta clericorum, & laicorum, quam magnam vim habere, etiam in negotiis Ecclesiasticis, ex Abbate, Felin. Dec. Govar. Joan. Garc. Barbof. Butr. Immol. & Mart. Anton. Genuen. latius diximus 308 supra